

## **Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas**

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]  
Scriptoribus pleniſimum, cum occurrentium fidei controuersiarum  
tractatione.

De Sanctorum Festiuitatibus Annitotius - Nvnc Demvm Integre Svppleti,  
Concionibus per octauam Vener. Sacramenti suo ordine intersertis

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

In Festo S. Marcelli Episcopi & Confessoris. Ecce Sacerdos magnus, qui,  
&c. Eccles. 44. 1. Quæ sint duæ dotes Episcopales. 2. Quæ item doctrina.  
3. De vita ac virtute Episcopali. 4. De dictorum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56205](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-56205)

& in qua nulla mortuorum habebatur ratio, sinerent putrefactare, sed secum eadem in terram Chanaan aportarent, in qua tot pro iisdem sacrificia, & victimar immolari, tot aliquando orationes fundi debebant.

Quamobrem Christiani, virū hoc nostū hodie ac toto vitæ tempore sit studium, pro fidelibus defunctis feruentissime ad Deū precēs effundere, eorumq; nullo nō reporte memoriā facere. Moneant nos obsecro tormenta & supplicia quibus excruciantur, vt querimoniis eorum aures accommodemus, eorum necessitatibus subueniamus, & re ipsā iam ostēdamus, quo eos olim amore, quo affectu fuerimus prosecuti. Marcus Tullius tribus potissimum de causis nos à Deo cōditos affectit: *Non solum enim, inquit, nobis nati sumus, sed ortus nostri partem patria, parentes partem sibi amici vendicant: amici quidem vt diligentur; parentes, vt colantur, patria vero, vt ab hostiū in uestitu defendatur.*

Idem mihi quoq; defunctorum memoriam dicere non licet: & sanè si parodice eadem verba exprefiero, sanctius multò & melius in hi videor conclusus: *Non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem Ecclesia, partem Sancti, partem sibi morsui vendicant: Ecclesia quidem, quod nostra vera sit patria, Sancti quod parentum nobis loco sunt; mortuū denique, quod instar amicorum habendi, quodque nostras hodie preces etiam atq; etiam implorent. Igū quantum in nobis est, eos adiuuemus, ac diunam misericordiam sollicitius pro iisdem exoremus, vt nimis eorum misereatur, pœnas minuat, temponis spatiū abbreviet, nostras orationes eoruū, querimontias & lacrymas nou respuat, deniq; cas acribus purgatoriū flāmis eripiat. Quod obrem toto vitæ tempore semper pro iisdem Dominum inuocemus, dilecentes: Requiem aeternam dona eis Domine, Glux perpetua luceat eis.*

Et sanè o pater misericordiarum, & totius consolationis Deus, viuorum ac mortuorum iudex æquissime, supplices te hodierna die deprecamur, vt captiuarum illarū virginum lamenta, suspiria, clamores, lacrymas benignus exaudiatis: ac tristes creaturarum tuarum genitus attendatis, quae iam à tot annis, tamque grauitate, & tam atrocibus apud inferos

*Supplement. Bessai.*

in iustitia tua carceribus supplicijs excruciantur. Noli quādo clementissime ac benignissime Deus aures eorum questibus occulere, qui noctes & dies de profundis terræ visceribus ad te inclamat, ita namque formē eorū describens Psalmographus ait: *De profundis clamaui ad te Domine, exaudi orationem meam;* *Psal. 129.*

*Fiant aves tue intendentis in vocem deprecationis mea.* Quare age fidelium omnium conditor, corumque animarum redemptor, misericordiam & gratiam illis impetrare, & veniam misericordissimā pietatis tue omnia illorum peccata extingue, & universalem omnium illis delictorum veniam concede, vt indulgentiam quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur: & tetricis illis carceribus egredientes libertatis æternæ compotes efficiantur, ac rectā ad beatorum gloriam & requiem sempiternam, quam ipse beatitudinis status secum trahit, perueniant: ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus perducere dignen-

## IN FESTO S. MARCELLI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Potest esse commune de Episcopo aut Confessore quocunque.

### Partitio.

- I. *Quæ dues sint doles Episcopales,*
- II. *De doctrina Episcopali,*
- III. *De vita ac virtute Episcopali,*
- IV. *De dictorum omissione Episcopali.*

*Ecce Sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo. Eccl. 44.*

### FIGURA.

**I**n ter cæteros quos Romana Respubl. tulit viros virtute & rerum gestarum gloria insignes ac bello & pace nobiles, non postremum, meo quidem iudicio, locum obtinet magnus ille Marcellus, qui Hanibalem Italæ

Plutarch.  
in Marcel-  
lo.

P P P P      incum-

incumbentem profligavit, quintum Consul fuit; ac varijs in Rempub. collatis beneficijs, egregiam virtutis & fortitudinis apud posteros famam & nomen est consecutus. Non minorē verò laudem mihi commeritus videtur Marcellus Parisiensis, magnus ille Iesu Christi athleta, qui toties in vita, non dico Hannibalem, sed ipsum diabolum fregit, ac superauit: qui quidem non Consul Roman. sed Praef. Parisiensis exitit, multis in Rempub. Christianam meritis celebris, & fidei Catholicae propagatione nobilis. Eius hodie vobis elogium hic celebrabo, si sanctissimus ille spiritus auxilij sui zephyro, ac gloriosissima Dei mater Maria intercessionum suarum flabris cymbalam meam propellere dignentur. Quare solita cam compellemus salutandi formula.

## AVE MARIA.

I.  
1, Tim 3.

Ledit. 21.

Philip. 2.

Apostolus Paulus cùm virtutes & qualitates in Episcopo requisitas Timotheo suo præscriberet, duas in primis ei necessarias esse ait, doctrinam videlicet, & viræ probitatem, opera simul & verba: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, continentem, pudicum, doctorem.* inde verò est, quod verbum oportet hic usurpauit, quod sine ijs duabus absolutus Episcopus quis dici nequeat. Ac multis ante, Pauli saeculis in lege Mosaica peregregio id designauit hieroglyphico Deus, cù a sacerdotio arcuit eos, in quibus aliqua esset macula, cæcos, quin etiam & claudos, & eos omnes qui membro aliquo essent mutili. *Qui habueris maculam, non offeres panes Deo suo, nec acceder ad ministerium eius, si catus fu- eris, si claudus, si fracto pede, si manu.* Cur putatis cum coros & trunco manibus à sacrificiorum oblatione arcuisse? non sine ratione. Cœcitas enim symbolum est ignorantiae, & ipsa scientia oculus animæ; & per trunco manibus certum est designari eos qui nullis sanctis, aut pijs operibus incumbunt. E quibus omnibus efficitur, cum qui cœcutit, id est, qui ad Dei verbum annuntiandum ineptus est, & eum qui manibus mutilus est, id est, qui in bonis operibus negligens est ad Episcopatum, & Dei, Ecclesiæque ministerium minimè idoneum existere.

*Idem Apostolus scribens Philippis his*

duobus se instruendum gladijs, ad eos descendisse gloriatur, atque næc duo, verba nimis & opera, velut certa Euangelij sui argumenta producit, dicens: *Qua videlicet audi- Philip. 4: sis in me, hoc agite.* Perinde ac si diceret: Nolite me nugi uenidulum, aut cymbalum tinniens estimare Pphilippenses, qui nimis aliud doceam & aliud faciam: neque enim de eorum sum numero, quorum lingua brachio sit longior, qui dicunt & non faciunt, mea verò agendi ratio cum operibus semper habetens coincidit, uberaque mea ad verba traducere conatus sum, adeò ut duas haec dotes vitam meam, vñl ut pretiosæ quedam gemmæ, decorânt.

Accedit adhac, quod duos è suis, qui iam ad Episcopatus dignitatem euecti erant, & Ecclesiæ moderabantur, admonuit, vt duobus his potissimum armis se instruerent, vni enim eorum in huc modum scriptis: *In omnibus temetipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate,* dicens vult. Quoniam spiritui S. & nobis viuum est carissime, præfulem te & pastorem animarum in Ecclesia constitutere, satage & pro viribus enitere, vt gregi tuo pietatis & probitatis sis exemplum, ac per bona opera vocationem tuam certam facias & confimes, quadam scilicet gravitate Episcopali, integritate vitæ, & potissimum doctrina. Alterum verò his verbis adhortatus est. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione;* Quandoquidem Timothee ad Episcopatum apicem euecti es, omnem da operam, vt fidelibus bona vita exemplo præluecas, ac vñl fidus quoddam in conuersatione & doctrina effulges, nolo autem te capanas templorum imitari, que in summitate quidem templi pendentes sono suo & tinnitu omnes vndecumque fideles ad templa cogunt, cum tamén ipse nunquam eadem ingrediantur: quibus campanis merito comparauero de pacientes illos pastores, qui ad summum in Ecclesia apicem euecti, ait quidem & sonoro tinnitu aures audiunt, scriunt, bene dicunt; atque omnes ad bene agendum inuitant: sed ad operandum ne digitum quidem mouent. Neque enim sufficit Præfulem tantummodo loqui, sed necesse quoque est cum manus ad opus ipsum extendere.

Mane

*Isaias futuri Messiae Pontificium & sacerdotum in spiritu præfigiens, his id coloribus Ecclesiæ depinxit: Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tue audiem verba post ergum monentis. Paucis ecce verbis omnem Pontificis perfectionem comprehendit: verba nimirum eius celebrat & opera: necesse namque est Praesulem habere aliquid quod hominum oculis appareat, bona se: licet opera: atque etiam aliquid quod ab omnia exaudiatur, insignem doctrinam, adeo ut cui alterutrum desit, perfectus & absolutus pastor dici nequeat.*

*Duo illi viatores, qui in Emaus proficiscebantur, cum Christi qualitates describerent, qui verus P̄otifex est, & de quo roties ad Hebreos Apostolus tam magnifice locutus est (scilicet, *Habemus Pontificem magnum, ac deinde P̄otifex factus in aeternum, & alibi, Christus autem assistens Pontifex*) duas potissimum prorulerunt, qui fuit Propheta potens in opere & sermone. Quibus verbis demonstrabant, cum qui actionem & prædicationem, opera simul haberet & verba, perfectum verè nominati posse: atque alterutro caret, veri Pontificis & absoluti Pastoris nomine proflus esse indignum. Quod & gentiles, naturæ tantum ductum sequendo, facile perspexerunt.*

*Anacharsis enim Philosophus, referente Plutarcho, Græcorum insipientiam & incipitiam exhibiendo dicere solebat: Graci verborum magni sunt Philosophi, sed viri & moribus levissimi. Idipsum & Plato in Timæo in ijs ipis Græcis reprehendit: Vos semper pueri estis, senex autem Græcorum nemo. Garrulitatem eorum & verboſitatem uterque coaguit, quod multa quidem docerent, varia verbis præcepta traderent, opere vero nihil, aut salement parum exequerebantur. Sed quanto hoc rectius & verius de Episcopis, quibus alterutrum horum desit, dici potest? Vtrumque enim apprime ijs necessarium est: quod cum in aliquo perfectè reperitur, næ ille magnus & verè diuinus dicens est, quod ut veteres melius & perfectius exprimerent, emblemata id explicandum censuerunt.*

*Nobilis enim ille pictor Zenalis hoc nobis in tabula scitè depinxit: expressit scilicet Vlysslem & Diomedem sese mutuo ample-*

stantes & intuentes, hac addita Epigrapha: *Vnum nihil, duo simul, plurimum, id est, ex duobus hisce ducibus, Vlyssle nimirum prudenti & sagaci, & Diomede Martio & audaci perfectum aliquem posse ducem constituita porto id expressit in emblematis Alciatus.*

*Laetitia genitum, genitum quoq; Tydeos una  
Hac cera expedit Zenalus ap̄a manus.*

*Viribus hic præstat, hic pollet, acumine menie:*

*Nec tamen alterius non eget alter ope.*

*Cū duo coniuncti veniunt, vicitoria certa est;*

*Solum mens hominem, dextrave deficit.*

quo quid aliud voluit insinuasse, quam eloquentiā vna cum prudentia si ad vites & robur alicuius accesserint, admirabilem aliquem & penitus diuinum posse reddere: at alterutrum si cui defuerit, inter præstantes eum duces non posse annumerari.

*Idipsum & Aegypti, præclaro Hieroglyphico expelsere: geminum scilicet pingebant Mercurium, sed ita, ut unus iuventa ver. Hieroglyphante reniteret, alter vero rugis senium ar- phicum Aeguentibus esset deformis. Designare hic volegyptiorum. bant, eum, qui ad dignitatem aliquam aspirat, & magistratum ambit, vt pro dignitate munus suum exerceat, uno in corpore duos gerere vultus oportere, senis vnam & alteram adolescentis: doctrinam ei esse necessariam, & robur; prudentiam simul & opera: & vtrumque hoc magnum aliquem & absolutum reddere, ac Deum quendam efficere, magnum dixi præunte mihi ipsomet Dominus, dum ait: Qui autem feceris & docuerit sic homines, hic magnum vocabitur in regno ca-*

*lorum.* Matth. 5:

In Actis Apostolorum historiam video, que hic optime facere videatur. Paulus enim & Barnabas Apostoli cum Lystris, qui Lycaonie ciuitas est, clando ab utero matris, virtute diuina, pedum usum restituissent, cues; nouo hoc raro portento mirum in modum perculsi, existimabant, Deos sub humana ad le imagine ē celo descendisse, adeo ut sacerdos Louis tauros ad diuersorum eorum immolandos raperet, coronasq; e floribus contextas afferret, vt easdem capitibus eorum veluti deorum imponeret, Barnabæ quidem tanquam Ioui, & Paulo vt Mercurio: quod hic ad populum verba haderet,

Ppp 2. & alte-

& alterutro esse videretur eloquentior , ille vero inusitata quadam virtute supernaturali potentia operaretur prodigia : huic nimis attribuentes verba , illi autem opera , adeo ut ob duas halce dotes , quas in duobus his animaduertebant , diuinis honoribus ytrunque censuerint afficiuntur.

**Verba & opera diuinum aliquem virum efficiunt.**

Et profecto ad eum se modum res habet , ille enim diuinus , admittibilis ac plane celestis , quin & absolutissimus quidam Episcopus est nuncupandus , qui utramque hanc dotem in se complectitur , ille namque vere saecordus magnus dici potest , quod verbis quidem Mercurius , operibus vero sit Iupiter : magnus inquam , ut per ei haud facile queat reperi-

**Ecccl. 44.**

Horum de numero exstitit Marcellus noster Praeful vigilansissimus , cui hodiernam concionem velut panegyricum quandam dedicavit : & cui hodierna die Ecclesia tribuit elogium : *Ecce saecordos magnus , qui in diebus suis placuit Deo : non est inuenitus similis illi , qui conseruaret legem Excelsi .* Sacerdos nimirus qui verbis opera adaptauit , quae duo potissimum Episcopo ad perfectionem necessaria sunt , ac de quibus hodierna ad vos die verba habiturus sum . Primo porro agendum erit de verbis , ac dei nre de operibus orationem instituemus .

**Episcopi sunt mundi lux.**

**Matth. 5.**

Quod ad primum igitur spectat , quam sit doctrina ac verba Episcopo alicui necessaria , euidenter laus Redemptor noster in Evangelio ostendit , quando nimirus Apostolos , primos nempe Ecclesiæ praefules , lucem mundi appellauit , *Vos esis lux mundi ,* perinde ac si dicere voluisse : Ego o Apostoli mei , celi atque omnium Angelorum lux existo , vos vero ut mundi & hominum lux sitis , constituti . Quid hinc elicetis vos sacrum litteratum interpres , cum pastores mundi lucem a domino appellari intelligitis , an non sat multæ in celo sunt faces ? an non quidam sol est , an non luna , an non sidera sautor . Sed non hic est genuinus verborum Domini sensus , altius nimirus euolandum est , philosophia hac Christi longe sublimior est ac profundior . Innuere namque vult omnia illa luminaria in solum animalium rerumq; corporalium usum esse condita , at animalium lucem ipsos esse pastores , eosque radiantium

quorundam fiderum locum tenere , quæ nimirum Christianos ad gloriam perducant , & viam ad res supernaturales demonstrant .

Ac veluti sol , ille omniuersus mundi oculus , cum nostrum axem confundit , tenebras omnes dissipat ; spissas nebulas dissoluit , lumen Compatimen suum quounque diffundit , atque omnipotens sol , quæ in inferiori hoc mundo continetur , educat ac souet , ad eum modum & per se . Etus quidam Episcopus , qui mundo huic velut quidam sol est , inter omnes late lumen suum debet diffundere , in medio Ecclesiæ splendescere , doctrina ac prædicatione entere , ignorantia tenebras fugare , errorum nebulas auferre , & omni virtutum scientiarumque genere micare : denique instar rutilantis cuiusdam planetæ sit , oportet , atque in Ecclesia firmamento velut sidus quoddam cœlum cœlestis .

Accedit ad hanc meam comparationem quam proxime Sapiens , atque ex eius verbis aliam haud adsimilem elicet . Dedit , inquit , *eis ignis ardenter columnam ducent ignota via* , ecce nuncupat eos columnas & bases , quoniam Deus eos ut fulera quædam & sustentacula constituit , quibus tota Ecclesia moles inçumbat , sed columnas ardentes & flammantes , doctrina nimirus & scientia , ut sint nimirus in lucem gentium , & ambulent populi in splendorc eorum , ut ad ipsorum splendorem peccatores deuij in meliorem semitam redeant , ut ijs vias quas nesciunt aperiant & ad calandum difficiles demonstrent ; viam scilicet qua ad regnum celorum tenditur , viam mandatorum Dei , vias salubrosas difficiles sublimi fidei mysteriorum ; ut nimirus doceant , quid sit in sanctissimam Trinitatem credere , quæ peractum sit sublime Incarnationis mysterium , quia unigenitus Dei Filius pro infinito in genus humanum affectu humanam carnem assumpsit : quomodo omnia è nihil Deus condiderit : quæ sunt reuera via quædam ad ambulandum difficiles ; ac penitus incognitæ .

Robertus Holcot magni inter scholasticæ Theologæ scriptores nominis , verba hac Salomonis exponens , ait , Sapientem hac scribendo , ad historiam quamdam quæ ex traditi-

traditione Rabinorum è Genesi eruitur res-  
pexisse: scilicet Chaam Noachi filium, fi-  
nius diluvio, visa iam clade quam vehe-  
mens illa aquarum inundatio mundo in-  
uexerat, veritum ne idem denuo forsitan  
contingerer, quatuordecim ingentes columnas statim couit tuiles: septem quidem aereas  
quæ aquarum vi resistenter, & septem lapi-  
deas quæ flammis incendioque nequaquam  
cederent ijsque omnia scientiarum cha-  
racteres & notas insculpsisse; primæ nimirum  
notas Rhetorices; secundæ Dialeticas; terciæ  
Musices; quartæ, Mathemates, atque a-  
lijs aliarum scientiarum notas ac precepta:  
vt, si iterum similis orbi flages superuen-  
tura esset, ipse saltem scientiæ attes super-  
stites forent, perennantibus illis columnis  
insculptæ, Porro Doctor ille nostro hoc  
proposito adaptans ait, Præfules & præ-  
latos, qui veluti bases quædam & fulera  
sunt, quibus tota Ecclesia innititur, ad in-  
star harum columnarum esse debere; vt scilicet  
ijs omnium scientiarum characteres in-  
sculpti, omnesque ijs virtutes inscriptæ le-  
gantur, columnæ inquam circumquaque  
exaratæ, virtutibus & scientijs plent, vt li-  
cet omnia in hoc mundo naufragio pere-  
ant, virtutes & scientiæ nihilominus in eo-  
rum animabus hospites perseverent, & à  
naufragio immunes, adeo ut Pontificem &  
Prælatum ita utriusque instructum esse o-  
porteat, ut ad eum non secus atque ad sci-  
entiarum oraculum & virtutum omnium  
thesaurum singuli reuertant, vt ab eo sim-  
pliores consilium, ignorantes scientiam,  
afflicti solamen, pauperes auxilium, egeni re-  
medium peccatores probitatis exemplum,  
atque vniuersa Ecclesia gloriam & laudem  
percipiant.

11. Scientia namque & doctrina Episcopo in  
primis necessaria sunt. Hinc factum puto,  
cur Dominus olim vestem summi apud Iu-  
dæos Pontificis tintinnabulis, voluerit in-  
stru, que dum incedere, tintinnum quem-  
dam ad numerum edicerent; neque enim prius  
Sancta Sanctorum ingredi poterat ad Sa-  
crifica Deo offerenda, quam tintinnabula  
sonitum edidisset. cuius rei rationem scrip-  
tura reddens ait: *ut audiatur ingrediens & e-  
grediens, & non moriatur.* Quid tunc eum, si

ingrediendo & egrediendo sonitum non e-  
dat, vita periculum incurre? Plurimæ sunt  
huius loci expositiones. Alij namque dixè-  
re summum sacerdotem Sancta Sanctorum  
ingrediendo, Angelos ut plurimum videre  
consueuisse, qui minaci & terribili intuito ti-  
morem ei inuictabant, sed eosdem ad tintin-  
nabulorum sonitum abire solitos, atque ita  
Sacerdotem per tintinnabula morte exipi. A-  
lij vero existimârunt, id propter reverentia  
am erga diuinum numen, institutum esse,  
quod nimis Deus hunc sibi locum peculiari  
quadam ratione delegisset, in quem non  
sine magna reverentia & sancta quadam for-  
midine, ac non nisi dato signo, aut editu pul-  
su, vt in palatijs Magnatum & Monasterijs  
fieri videmus, ingredi oportret. Alij alia  
commenti sunt, sed omniū meo quidem  
iudicio, optimè rem tetigisse visus est ma-  
gnus ille Pontif. Greg. qui per veterem illam  
ceremoniam ait designari animam sacerdo-  
tis & Episcopi prædicationis sonitum edere  
debere: *Sacerdos ingrediens & egrediens mori-  
tur, si sine sonitu prædicationis incedat, & tin-  
nitum, sacras literas interpretando, nō edat.*  
O minas horribiles, ac penitus formidandas!  
Deus ecce mortem intentat Prælatis, Ecclesi-  
am, verum Sanctum Sanctorum, non edito  
doctrinæ & prædicationis strepitu ingredi-  
entibus, i. curam pastoralē temere assu-  
mentibus. Hinc igitur elicere potestis, quam  
sit doctrina, ac scientia illi necessaria: in  
quam rem & aliud adhuc concepium profe-  
ram.

Tradunt Doctores Scholast. & in primis *D. Thom. 3.*  
S. Tho. in Christo Iesu, in quantum Deus *par. q. 9.*  
erat, scientiam quandam increatam suisse; *art. 3.*  
sed in quantum homo, scientiam quandam  
infusam: cuius rei rationes variæ sunt, sed illa *De tælesti*  
principem facile locum occupat, quæ è ver-  
bis *D. Dionysij Areopagitæ* eruntur, qui ait *cap. 7.*  
*Hierarch.*  
Christum etiam vt hominem Angelorum  
omnium ac spirituum celestium mag-  
istrum extitisse; vt nimis ostenderet se  
eorum caput, Principem ac Pontificem esse.  
Ut autem eos in proprio idiomate edoceret,  
requirebatur in eo scientia quædam infusa,  
qualem & ipsi habebant, ac necesse erat vt  
scientia præceptoris scientiæ discipulorum,  
responderet. Per hæc autem omnia demot-

PPP 3 stratur

stratur, Patores qui totius populi capita sunt ac vertices singulare quadam scientia ad docendos alios, debere esse instruc-

*Episcopus* in se continet, atque omniꝝ membra dirigit & moderatur; ita ut quamprimum oculi eruantur, tota corporis humani respub. per-

cula varia aedat, & in ruinam vergat. Ita quoque, vt meo similitudinem hanc proposito accommodem, certum est, Praesulem in magno illo Ecclesiæ corpore, mystici cuiusdam capitinis locum obtinere, in coquœ oculis, id est, litteras, scientiam & doctrinam singularem esse oportere, vt nimirum omnes sibi subditos rito, ac debite dirigat, ac securos per salebras & anfractus deducat: qui si cœcut ire ac caligare incipiat, quid de commissis ei animabus, que eiusdem quodammodo membra sunt, sperandum est aliud quam ruina, pernicioꝝ, & id ipsum quod in Evangelio legimus, si cœctus cœcum ducat, ambo in soueam cadunt.

*Matth. 15.* Inter cœteras quas in Iudeis deplorat Isaías calamitatem, erat Principum cœcitas, & nimia in delinquentibus conniuentia: quod seilicet instar talpœ cœcutirent, & instar canum mutorum, visis populi peccatis non inclamarent. Audite eius verba: *speculatorœ cœti omnes nesciuerunt uniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormiantes, & amantes somnia.* Quinam vobis hi speculatorœ esse videntur nisi Episcopi, quorum Graeca appellatio *ἰπέσκοποι* tandem valer, ac speculator & excubitor? Ecquis est, obsecro, qui non ploret, qui non lacrymetur, atque Ecclesiæ calamitatem non desfeat, cum eius restorum cœcitatem & ignorantiam intuetur, adeo ut populum instruire, & aduersus hæreticos qui ouili circumquaque insidiantur, latrare nesciant? Scientia namque, hominibus ac prefertim Episcopis propria est, ut ignorantia brutis ac bestijs,

*Izai. 2. 9.* Non parua quoque meo iudicio, comminatio fuit, cum populo suo Deus comminatus est, daturum se ei Duces & Principes qui cœcutirent, & gubernatores, quorum oculi caligarent. *Et claudet oculos vestros Prophetas & Principes vestros, qui vident*

*visiones, operietur.* id est, Prophetas & Reges vestros, qui vestri quodammodo oculi sunt, quorum est reipubl. commodis iniquigate, cœcos reddet, adeo ut conducendi & dirigendi sitis ab ipsis, qui prorsus cœcutient, qua nulla maior calamitas & infortunium timeri queat, quæque non nisi insigne ruinam vobis allatura sit.

Hinc eum arx Sion à cœcis Iebuzæis defenderetur, statim ab Hebreis direpta fuit: *proposuerat enim David in die illa premium, qui 2. Reg. percussisset Iebuzum, & teigitset domatum fistulas, & abstulisset cœcos & claudos odientes animam David.* Vnde colligitur Ecclesiæ cum à Praelatis cœcutientibus, id est ignorantibus & indoctis administrantur, maximo in disertamine versari.

Atque ideo Ammonitarum Rex Naas, vt r. Reg. Galaaditis inimicos suos penitus derelerat, dubibus eorum oculos eruerat conabatur. Cum enim tyrannus ille valida militum manu aduersus eos descenderet, ipsi duces ad eum velut legatos destinarunt, ut secum pacisceretur, suumque illi obsequium obtulerunt, sed barbarus ille & immixtus respondit, non prius se cum ipsis pacem iniice velle, aut fœdus pacisci, quam dextros singulis oculos eruisset. Doctissimus Litanus barbarum hoc factum accuratius examinans, tandem hoc modo concludit: *Galaaditis, sc. ingentis staturæ viros fuisse, longos, proinde & vastos clypeos gestasse.* Et quoniam clypeus sinistrum plerumque oculum tegit, hinc siebat, vt barbarus ille dextros oculos erutos velleret; quibus erutis ipsi ad bella prorsus inepti essent, ut pote qui nihil inter pugnandum viderent. Ut hoc nostro capitulo seruiat, dico ipsos Ecclesiæ militantis duces, ac Principes, Praelatos esse; Satanam vero, qui Naas infernalis est, aliud nihil desiderare, quam vt eos cœcos reddat: quos si semel dextro oculo, scientiae seilicet ac prædicacionis, orbari contigerit, & imperitos esse, quid obsecro aliud ab illis exspectare potest Ecclesia, quid aliud Christiani omnes, ac gressus ipsis conceditus, quam meram ruinam, cosque velut inutiles ac frugiperdas atere?

Vnum è præcipuis ornamentis quæ in *Exodus*, Dei tabernaculo visabantur, fuit candelabrum

brum aureum, in quo septem lampades col-  
luebāt: *faces & lucernas septem, & pones eas*  
*super candelabrum, ut luceant ex adiutorio.* defi-  
gnabat hoc, maximum Ecclesiæ ornamen-  
tum esse, si Pasior & præsul instar candelabri  
septem eximijs lucernis ad subditos illu-  
minandos exornatus sit; si inquam Episcopus  
septem liberalibus artibus ac Theologica sci-  
entia optime instructus Ecclesiæ præfis; hæ  
namque artes sunt velut lucidae quædam lá-  
pades, qua nobis in hoc vita itinere lumen  
præbent: Ita nempe & Euangelium loquitur,  
quod scientiam lucernæ & Episcopos cande-  
labro assimilat, *Nemo accedit lucernam, &*  
*ponit eam sub modo, sed super candelabrum, ut*  
*lucent omnibus qui in domo sunt.* Quidquid sit,  
efficitur saltem, scientiam Sacerdotibus, Pre-  
latis, atque omnibus qui ad sublimi-  
ores dignitates electi sunt, pernecciariam  
esse, quod noua adhuc ratione demon-  
strabo.

Volut olim Deus, vt Sacerdotes tubis clä-  
gerent in medio exercituum, quam obrem  
hoc eum putatis iussisse? an deerant alij, qui  
bus hoc magis pro officio facere incumbere,  
vt milites ac duces? an non erat indecens, Sa-  
cerdotes qui Deo sacri erant, tubas in medio  
castrorum inflare, officioque tam profano  
destinari? vt nimirum ostenderet, Sacerdo-  
tes & Præsules, in castris Christianorum  
id est Ecclesia, quæ terribilis est vt castrorum  
acies ordinata; tubarum & buccinorum lo-  
cum obtinere debere, vt nimirum Euangeli-  
um annuncient, summi Dei edita pro-  
mulgent, eius leges seruandas proponant,  
suis ad fortiter agendum inuitent, bellum-  
que acerbissimum & implacabile vitios indi-  
cant. Audite quid olim Ista in simili nego-  
tio præcepit Deus, *Quasi tuba exalta*  
*vocem tuam, & annuncia populo meo scelera*  
*orum.*

Princeps ingenij ac doctrinæ Plato tum  
demum beatas fore resp. dicebat, si aut  
Philosophi eas regerent, aut qui ad e-  
arum gubernacula sederebant, philosopharentur.  
Idipsum modo de hoc nostro sa-  
culo dicere mihi iure posse videor; bea-  
tas tum demum fore parochias, dioce-  
ses & Ecclesiæ, cum Doctores, Theo-  
logi, & Philosophicis scientijs, instru-

cti, in capita, Pastores & Episcopi constitu-  
crentur.

Sed quam te merito felicem nuncupare  
potes ô Lutetia, orbis epitome, totius Eu-  
ropæ ciuitatum, & caput, & Princeps, Re-  
gum delicium, qua huiusmodi semper Præ-  
fules nostra es? nimirum doctos, sapientes,  
sanctitate & morum honestate penitus admi-  
rables! Inter quos principem facile locum  
obtinet glorijs ille Confessor Marcellus,  
qui in gremio tuo est educatus, qui tibi do-  
mi natus est, qui territorij tui & agri fructus  
est germen, qui inter Episcopos tuos, vi in-  
ter stellas Luna minores, emicat. Marcellus  
inquam qui in hac Parisiensi ciuitate natus,  
nonius in ordine Parisiensium Episcoporum  
fuit, successor Prudentij, idque temporibus  
cum hæc Gallia ab infidelibus adhuc rege-  
batur regibus; quinque iam à mille ducen-  
tis propemodum annis viuere desit, & San-  
cta Genouefæ perfamiliaris extitit.

Statim vt ingens mundi huius imperium  
conditum est, duo quam primum magna lu-  
minaria constituit Deus, solem nimirum &  
lunam, quæ toti quaqua patet orbi de die ac  
nocte illuculent. Idem Deus cum Galliæ hu-  
ius Monarchiam constitueret, duo quo-  
que luminaria effulgere fecit, Marcellum ni-  
mirum velut solem, & S. Genouefam quæ  
secunda luna foret, vt duo haec astra, splen-  
dore & luce rutilantia, toti huic regno lu-  
cem præberent. Quid autem impedit, quo  
minus virumque virentibus illis oliuis eom-  
parem, quæ in conspectu Dei videbantur,  
vt in Apocalypsi Ioannis describitur? Hem  
quam eximia virgo? quam magnus & cele-  
bris confessor! quam merito de ipso hodie er-  
na die cum Ecclesia decantare possumus,  
Ecco Sacerdos magnus, qui in diebus suis pla-  
cuit Deo.

Vere inquam Sacerdos magnus, ac  
Episcopus maximus, simul sanctissimus, do-  
ctissimus, ac salutis animarum studio-  
sissimus. Quoties enim ille ad populum  
verba habuit, vt peccatores à deuio viti-  
orum tramite ad salutis iter reuocaret,  
peccata ipsa profligaret, heres & pra-  
ua dogmata extirparet, & idolatrias  
ad fidem veritatem compellat, fuit, fuit  
Audi-

Gen. 31.

Auditores, nouis quidā Iacob, qui vītgregem Labani cœlestis seruaret, magna animi constantia frigus & æstum infactus sustinuit, dies nocteq; orando traduxit, vt eadem, quę Iacob, usurpare verba merito potuisset; *Diu noctuq; astu uegebā & gelū: & fugiebat sompnus ab oculis meis;* Habuit enim præter verba doctrinam, sapientiamque etiam opera; docebat nimirum. simul faciebat, quod scil. aliorum est quod in absoluto Episc. desiderat dicebanus, & secundum concionis nostræ membrum, quod iam prosequamur.

III.  
Actio &  
opera ex:  
terna Episc.  
quoque ne-  
cessaria sunt  
Simile.

Bono igitur & fideli pastori non modo verba, sed etiam opera necessaria sunt; neque enim sufficit, vt doctus sit, ad populum sæpe numero verba habeat, sed requiritur etiam ut manum ad opus ipsum extendat, atque ea qua pro suggestu dixit rē ipsa & factō probet, omnibusque & singulis egregiam probat, honestatique exemplum præbeat. Erit alioqui mendaci horologio persimilis. Nam quemadmodum cum hora 12, audis, & oculos in gnomonem conijs ac non nisi 10, vel 9. horas vides designari, statim tecum ipse iudicas horologium fallere, aut axes introrsum esse virtatos, ac loco motos. Ita quoque si pastor, qui verum quoddam fidelium horologium est in summo Ecclesiæ fastigio horas & minuta indicans, quique veluti campana quadam est, omnes salutis horas ac momenta populo denuntians, si ipse inquam Ecclesiæ pastor alium sonum prædicatione & alium operibus edat, euidens signum est eum sibi non constare, atque in eius actionibus discordantiam reperiri.

3. Cor. 9.

Paulus Doctor Gentium veritus, ne idipsum sibi fortasse accideret, omni ratione contendebat mores & vita vt verbis prædicacioniique responderent: hinc ad Corinthios lcribens, aiebat: *Castigo corpus meum, & in seruitusem redigo, ne forte cum alijs prædicante, ipse reprobis efficiar.* Id est, Opere implore connitor, quod verbis doceo, & presentiam alijs predicans, in meipso eadem prius exprimere studeo: alios ad fletum & lacrymas inuitans, prius oculis meis lacrymas excutere atque imitari gesto præclaros illos agricolas, de quibus Psaltēs ait: *Euntes ibant & flevabant, mitentes semina sua.*

Psal. 125.

Episcopus namque multa docens, & pau-

ca præstans, qui que theoriam quidem habet, IV, at scientia, ac nullam virtutum proxim, & Varijs si- qui alios ad bene viuendum inuitat, ipse ve- multitudi- ro dissolutionem morum ostentat, similius bus desig- es perhibetur faci, alijs quidem lucem pre- natur Episc. benti, seipsm vero ardendo destruenti, simi- copus qui lis quoque est aquis Baptismi, quæ animab. ea que di- quidem ad cœlum aditum patefaciunt, ipse citoper- veri in forib, remanent: similis etiam eis ijs non adm. qui Noe arcā lōgo tempore compegerunt, pl. in qua alij seruarentur, cum ipsi eadem ex-clusi aquis immersi perierint. Bonorum igitur operum exercitium vnā cum doctrina & prædicat one Episcopo necessarium est.

Demosthenes inter Græciæ oratores elo- quentissimus, interrogatus aliquid, referente Aug. quidnam in perfecto Oratore pri- mas ferre, respondit, Actio: potentib. de n. Episc. & alijs, quid secundas iterum respondit, A- Dissem. ctio, ac mox quid tertias, iterum Actio: & sa- ne crediderim, cum semper hoc ipsum de ac- tione dictum fuisse, si sapius id ab eo pe- titum esset: equidem idipsum de Episcopis iure meritoque mihi dicere posse videor: si enim quis à me petat, quid primas in per- fecto, absolu. o & digno Episcopo ferat quam- primum sine tergiversatione, idq; totius or- bis iudicio, respondebō, unicam esse Actio- nem, si deinde, quid obtineat secundas, ter- tias & quartas unicam esse dicam actionem: adeo vt si nullies eadem qualiter reiteretur, idem ego semper deactione testimonium da- rem. Ipsa namque actio velut fundamentum est Episcopalis dignitatis, à qua nimis to- ta Episcopi perfectio, dependeat.

Satis id indicasse, vīla mihi est sponsa in Cant. s. Canticis, statim namq; vt sponsi vīcem lau- davit, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & decorata manuum eius pulchri- tudinem celebrandam descendit, manus tor- nates, aurea, plena hya. intibus Sponsus hic profecto, veram Episcopi imaginem gerit, sponsa autem Ecclesiæ vox eius prædicatio- nem denotat, & manus hyacinthis plene bo- na opera virtutib. & meritis insignita. Tunc namque manus eius vere aurea dici possunt, quando charitas & zelus in operib. eius elu- cent, hoc namque inter virtutes charitas est, quod aurum inter metalla, & rum ditti eius gemmis & hyacinthis scatent, quando bo- nis ope-

IV,  
ijs si  
tudini  
desig-  
n Epis-  
is, qui  
ne di-  
pere  
adim-

*Matt. 20.*  
nis operibus, ac virtutibus incumbit, quibus nulla pretiosiora monilia aut gemmæ cario-  
tes reperiiri queunt. E quibus omnibus appa-  
ret, vocis dulcedinem, vna cum auratis ma-  
nibus, doctrinam simul & virtutem, prædi-  
cationem & opera, præstantissimas dores es-  
se que in Episcopi anima, qui verus Ecclesiæ  
sponsus est, desiderari possunt.

Quin etiam magnus ille paterfamilias a-  
pud S. Mattheum, vineam suam, dum cultâ  
vellet, elegit in vinitores, non disertos ali-  
quòr oratores, non magnos Doctores, non  
sublimes Philosophos, sed solos operarios &  
laborib. affuetos. *Rogate dominum messis, ut  
mittas operarios in vineam suam.* & post pau-  
*ca addit idem paterfamilias,* *Messis quidem  
multa, operarij autem pauci.* Vinea hæc Eccle-  
siæ repræsentat, vinitores vero & agricole  
ceclitius missi esse debent laborantes, qui tan-  
tum nimurum operantur, quantum loquun-  
tur. Sed vnum hoc deplorandum est, quod  
multum in hac vinea sit operis, ac messis plu-  
rima, at pauci admodum reperiuntur opera-  
rii, multi quidem in vniuersitat. Doctores,  
multi in Collegiis philosophi, multi inter nobi-  
bles & Aulicos Abbates, multi in Palatiis prin-  
cipum Episcopi, sed operarii pauci, pauci, in-  
quam qui Ecclesia commodis inuigilant, qui  
pro eadem laboribus incumbant, pauci scili-  
et Episcopi, qui quidquid dicunt, opere ipso  
deinde expleant, *dicunt enim & non faciunt.*

*H*i vero Deum grauissime offendunt. Hinc  
libro i. Regum iratus, quod Saul iussa sua non  
adimpleret eiusq; verbis, Amalecitas inter-  
necione non delendo, non obtemperasset, ad  
Samuelem ait, *Poenitet me quod constituerim*  
*Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea  
epe non impletuit.* Nihil porro obstat, quo  
minus hoc etiam de Episcopis dicatur, illi  
enim Deum dereliquerit videtur, eiusq; ver-  
ba negligere, qui quod dicunt, non præstant,  
qui quidem Euangeliū ac genuinū Dei ver-  
bū populo denuntiant, ad operandum tamen  
non accinguntur, nec manum operi ad nouēt.

Scriptum est in libro Iudicum, *Ad filium  
Gera, ambidextrum fuisse, & vtraque manu  
pro dextra vsu, de quo inter cetera scribitur,  
quod fecit sibi gladium antipitem habente in  
medio capitulo longitudinis palma manus.* Om-  
nia porro hoc mysterio nō vacant. In primis

*Supplement. Beffai.*

*Matt. 9.*  
validus ille miles nostros Episcopos designat,  
qui quoniā Ecclesiæ copijs presunt, nunquā  
inermes sint, oportet, sed sēper gladio, quod  
est verbum Dei, accincti gladio inquam an-  
cipiti, tum ad virtutes laudibus debitibus exor-  
nandas, tū ad peccata & vita castiganda: qui gla-  
dus quoq; ad longitudinem manus aptandus  
est, vt nimur faciant, quod docent, atque  
opere demonstrent, quod verbis alijs perfun-  
dere fatigunt.

*In mari illo fusili, quod Salomon in tem-  
plo Ierosolymis constituit, insculpti erant le-*

*3. Reg. 7.*

*ones, boues, & Cherubini. Si me sculpturę hu-  
ius interpretarem adhibere vultis, dico per ma-  
re hoc optime Ecclesiæ designari, per anima-  
litā vero insculpta ipso Episcopos, quos fortu-  
tudine oportet esse leones, ferentia Cherubi-  
nos, opere ac labore boues, boues inquam ad  
effringendas glesbas duriores, ad portandum iu-  
gum, ad vineam purgandam, & ad Ecclesiæ  
noualia colenda.*

*I*oannes in Insulam Patmos à Domitiano

*Apoc. 1.*

relegatus plurimas à Deo apparitiones habuit,  
atq; inter cæteras vidisse se ait filium homi-  
nis septem manu stellas tenentem. Per septem  
has stellas interpres designari Episcopos ar-  
bitrantur, qui scilicet instar rutilantium ac splé-  
ndidorum siderum in Ecclesiæ firmamento  
collucent, & in manu Dei versantur, vt nim-  
ru huic discamus, pastores, nisi sinecere ac sine  
villa fraude à manu Dei in Ecclesia stabiliti  
sint, non vero manu mundi, id est, fauore  
aliquo, aut datis muneribus, alijsq; vijs illici-  
tis, semper obscuros esse, ac nūquam non de-  
liquium pati, nec ullum lumen præbere. He  
autem stellæ Angeli appellantur *septem stel-  
lae Angeli sunt septem Ecclesiæ: vt hinc in-  
telligamus, quanta vitæ puritas Episcopis sita*

*Apoc. 1.*

*necessaria, qui per doctrinam instar stellærum  
effulgere, & per vitæ integritatem & inno-  
centiam Angelorum imitari debent puritatem.* Noto hic deinde stellas has manu teneri, non  
vero capitii esse superimpositas, aut alteri cu-  
tidam corporis mēbro annexas, vt doceamus  
hinc opera Prelato imprimis esse necessaria,  
quorum operū verū symbolū ipsa est manus.

Quam pulchrum porro est, ac iucundum  
videre Principes illos Ecclesiæ munere suo de-  
bile ac rite fungentes, populi sibi commissū  
verbī vitæ pabulo fideliter pascētes, doctrina

*Qqq q*

*sua*

In Laco-  
nicis.

Matt. 20.

sua salutis iter illi manifestantes, eumq; honesta conuersatione, ac probitate vita ædificantes, omniq; ratione contendentes, vt cū theoria praxis quam optimè coincidat? Quā verò dolendū est ac deplorādum, cum in ijs mores doctrinæ & verbis vñq; adeo non respondent, cum hoc docent, & illud prestant. Egregiam ad hoc propositum historiam refert Plutar. Cum quidam ætate grandior, stadiū olympicum ingressus esset, ac convenienterem atati sue locum quæsisset, nullus ei omnino ex vniuersis Græcis assurrexit, aut locū cessit: qui tandem ad Lacedæmonios se contulit, qui ceteris cultiores audiebant, inter quos ei non modò pueri, locum cedendo, sed etiam etate grandiores ac viri assurrexerunt, venerandam canitatem & annos in eodem teneriti, quod factū cum ceteri Græci magnopere deprehendebant, inclamare in omnium confessu senex coepit: *Heu miseriā! Omnes Graei norū, quid sit honestū, sed eo solum vituntur Lacedæmonij.* Ut hoc sensis huius apophthegma propositū accommodem materię, dē operam Pastores ne ipsis scientibus quod sit pulchritum, honestū, utile ac quantum sit virtutis decus & pulchritudo soli Laici idem opere demonstrant, ac factō præstant.

Huius meminisse vos velim Præfules, & simul in mentem reuocare, quam acrem illi in Euangelio reprehensionem à Domino vineæ audierint, qui pra desidia & inertia otianabantur: *Quid statis hic tota die otiosi?* Otiosi inquam, non concionantes, non scribentes, Ecclesiæ commoda negligentes: *Otiosi,* ceterum non reformatentes, d'cecessis visitationem omittentes, hæreconzania non extirpan tes: *Otiosi,* extra diœcesim, procul à grege, in aulis Principum, in deliciis, voluptatibus indulgentes *tota die:* toto iuuentutis vestra tempore, in flore ætatis, toto deniq; vita spatio. Non ita, non ita inquam vestri fecere maiores, non hac via sancti illi patres vobis præiuerunt, & in primis S. Marcellus, ille namq; & concionabatur, & operabatur, ad imitationem nimis Apostolorum, qui primi orbis existente Episcopi, qui bona opera velut additamentum ad prædicationem adiungebant, ac virrum doctrinæ velut sciam adnecabant, zelum prædicationis, & vias aueritateu semper simul in aciem pro-

duentes. Hinc de ijs locutus videtur Psallographus dicens: *Euntes ibant & stabant, Psal. 125. missentes semina sua.* In quam rem egregiā mihi similitudinem suggerit Propheta Iob.

Cum Deus Icbo quædam naturæ miracula reuelaret, inter cetera ait: *Nunquid nos si Iob. 39. tempus partus ibicum in pratis, aut parvientes ceras obseruasti incurvantur ad factum, ut pariant, & magis emittunt.* Gregorius locum hunc in Moralib. explicans ait, per has ibices, & ceras, cursu velocissimas, primos Ecclesiæ patres designati: quorum tanta fuit in cursu celeritas, ut quatuor mundi cardines breuissimo temporis spatio peragrarent. de quibus in Psalmis scriptū legimus: *In omnem Psal. 18. terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum: quiq; plurimos Deo, sed non sine ingenti molesta ac magna difficultate pepererunt. vt de se ipse in primis testatur 1. Cor. 4. genitum Apostolus Paulus: Per Evangelium ego vos genui. Scire vultis, quos ille labores subierit, quas & rumnas exantlarit, quos in partu dolores sustinuerit, ipsum de se scribentem audite: Ter virginis casus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, die & nollo in profundo mari fui, in itineribus sepe periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & erumna, in vigiliis multis, & famo & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate &c. O partum difficile! & graue & arnumosum pauperium! Heu! veteres illi Ecclesiæ Præfules, vt munere suo pastorali optimè fügeretur: quos carcera nō subiérer, que vincula, quas catenas nō sustinueré, quos labores nō süt percessi, quos sanguinis tortes nō effuderint: vt meritò de illis Davidis hoc usurpare queam: *Dedit eis regiones gentium Psal. 46. & labores populorum possederunt.**

Tales scilicet fuere veteres illi Præfules, sa- citate & doctrina admirabiles, tales Episcopi illi Gallie, quorū nomina scripta sūt in celis, Gallici: Remigius Rhemensis, Martialis Lemonicensis, Saturninus Tholofanus, Surinus Burdegalesis, Astremonius in Atuernia, Hilarius Pictauensis, Martinus Turonensis, & Marcellus Parisiensis, Episcopi. S. Marcellus inquam, quem hodie præ ceteris prædico, ac de quo canit Ecclesia:

Ecclesia: *Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, &c: Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi, qui nimirum adeo magnus in mundo existit, ac tanti in Ecclesia nominis, ut paucos ei pares perieras, pares scilicet meritis, pares virtutibus, pares miraculis, pares in docendo populos, pares in idolatria extirpanda, pares in honore & cultu Dei promouendo, denique in misericordia erga pauperes ac medicos pares.*

De eo namq; verè dicere possum ac propriè quod de omni viro iusto ait sapiens: *Laudet eū in portis opera eius.* ac publicè coram uniuerso mundo. Non est porro necesse pluribus laudes & encomia eius verbis deprædicare, ipsa eius opera, ipsa miracula, eius heroicæ virtutes in portis cum decantent, ac celebrent, in portis inquam magnæ huius Ecclesiæ honori & cultui Deiparæ Virginis dedicatae, in portis nobilis huius ac vastæ ciuitatis, in portis ac liminibus magni huius regni, denique in portis totius orbis Christiani laudes eius & opera celebrentur.

Cum aliquem magni nominis, aut Principe mori contigerit, superbris statim stragulis ac peristromatis magnificis parietes & dominus limina conquestiuntur: adeo ut necesse non sit nomen & qualitatem sciscitari defuncti, cum ex auleis & parietum ornatu satis manifestum sit opulentum aliquem ac dignitate fulgentem obijisse, quem laudent in portis, & parietib. opera eius. Id ipsum de sancto Marcello hodie mihi dicere licet: si enim sci re desideretis, quis qualis fuero, quenam eius merita, vnico vobis statim verbo respondebo: *Laudent eum in portis opera eius:* vitam eius intuemini, actiones eius inspicite, miracula attendite, & plurimas alias virtutes, quæ vera animæ supelix sunt, & videbitis ex his omnibus, ipsum celebrem aliquem ac magni nominis Episcopum fuisse.

Tota igitur hæc diœcesis, totum hoc regnum, vnuerter clerus atq; vnuersa Catholica Ecclesia hodie mecum dicant: *Ecce sacerdos magnus.* Verè magnus, quia magna ac latè patens ciuitatis Epis. magnus, quia magna ac lucepta edidit miracula; magnus, quia magna modo eius in celis est gloria; magnus deniq; quia magni apud omnes nominis est ac fama.

Ideo fecit illū Dominus crescere in plebe suam. O mercede incoparabilem! nobile vigilantium Episcoporum præmium! quia nimirum vigilans fuit ac sedulus in Episcopatu, quia populu sibi concredidit assidue verbo virtute pauit, & sapienter vitam instituit, quia scientie opera, & actione coniunxit, ideo nomen eius per omnes terrarum angulos celebre redditu est: ideo Episcopatum eius Dominus benignissime fouit ac promovit; ideo gregè eius & oues fecit excrescere: ideo bonos ei successores elargitus est; ideo nomē eius super aethera notum, ac memoria illius apud posteros erit immortalis. Nam, *in memoria eterna erit ius-  
tus ab auditione mala non imberbit.* Hoc quidē de omni iusto, sed ipsum Sancti Marcelli nomen peculiari quadam ratione in æternū manebit, nunquam de eo quisquam secus ac debet loquetur, Luteria semper memoriā celebrabit, nomē eius perpetuo cōseruabit; sepe cū inuocabit, ac nunquā nō de eo dicet: *Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo.* Eccl. 44.

O verè magne Marcelli atq; inter omnes Sætos eximie, inter Pastores Pastor egregie, decus Lutetie, vnuersæ columæ Gallie, fideli um spes, suppliciū refugium & præsidium: cuius hodie Ecclesia festiuitate celebrat. O Sancte ac gloriose Episcope, qui modo Angelis sociatus in coelesti regione regnas, Altissimo dilectus & eterna beatitudine perfruēs, O beata Episcope, qui tāta olim prudētia, ac sanctitatem hanc diœcensem dixeristi, huius obsecro tui gregis memor esto, ad ouiculas tuas benignissimos oculos conuerte, intercede pro eo, qui nostris diebus locū tuum hic occupat, qui infūlā, quæ tuum aliquād caput exornauit, capite geltat, & pedū manibus, quod tuum aliquād fuit, qui idem, quo tu olim grauatus fuisti onere humeris impositū habet. Et quoniam multū te apud Dominum posse, & magni preces tuas apud cū ponderis esse confidimus, nostris hodie precibus aurē accōmoda, pro nobis omnibus intercede, nostras quoq; Deo orationes represesta, ac pro nobis apud Altissimum obtine, vt postquam fidele hic ei obsequium præstiterimus, teq; qui ei carus es, debito honore prosecuti fuerimus; ex hac vita in eternam ingredi mereamur, ad quam nos conducat Pater, & Filius ac Spiritus Sanctus AMEN.

Qqqq 2 IN